

99 7 161

















*DISPUTATIO*  
Tertia contra Calvinistas.  
QVOD FACIANT  
DEVM AVTOREM  
PECCATI.

*PRAESIDE*

*Reverendo & clarissimo Viro*

D. SAMVELE HVBERO  
Helvetio Bernensi, S. S. Theologiae Doctore  
& Professore in Academia VVite-  
tebergensi,

*Respondente*

M. ANDREA SCHAFMANNO  
TREMONIANO, e Saxonibus  
VVestphalo.

*ANNO 1593. 7. Septemb.*

VVITEBERGÆ  
Typis Zachariae Lehmanni.  
ANNO M. D. XCIII.





...  
Tota contra Calvinistas.

QVOD FACIANT  
DEVM AVTOREM  
REOCATI

...  
Responde et clarissime Viri

D. SAMUEL HUBER  
Helveticus Bernensis  
& Professor



161 F 99

M. ANDR. ...  
TRIMONII ...

...  
...  
...

VITAE ...  
Tus ...  
ANNO ...





**QVOD CALVINISTÆ FACI-  
ant DEVM autorem peccati, magno & in-  
fando sectæ suæ scelere.**

I.

**B** prima nostra disputatione de fine ho-  
minis, multa colligi possunt argumenta,  
quòd homines isti DEVM autorem desi-  
gnent omnium scelerum & mortis; Sic enim  
omnia illa ex scriptis ipsorum allegata collimant; quæ  
nunc, quantum opus erit ad scopum disputationis hu-  
jus accommodabimus. Quæ verò ibi prætermissa sunt,  
& evidentissimam habent consecutionis hujus ratio-  
nem, addemus, plenè demonstraturi, quod Iehovam  
aut DEVM ipsum, in Secta sua constituent veram &  
propriam causam efficientem scelerum atq; mortis.

II.

Quod doctrinæ genus in ipsis patefieri debet, ut  
constet quem colant DEVM, & cur tantopere vero in-  
fensi sint DEO, qui filium suum misit salvatorem mudi.

*Argumentum primum.*

III.

Quæcumq; in thesibus meis commemoratis de fine  
hominis à thesi 109 usq; ad 145. de absoluta DEI volun-  
tate ex scriptis illorum annotavimus, huc referenda  
sunt. Docent enim hæc in universum, cum DEVS  
mera voluntate homines statuatur reprobare, & ad in-  
teritum rapere, quòd DEVM causam faciant peccati  
& mortis.

IV.

Sicut etiam eò pertinet omnis doctrina eorum de  
fato, de qua agetur in sequenti disputatione.

A 2

Hæc



## V.

Hæc enim est catenata illorum pereundi ratio, ut exorſi ab homine perdendo & per medias enixi cauſa, in ſummo faſtigio D E V M cauſarum omnium principio ſtatuant omnia primò createm & deinde fati illius neceſſitate, omnia quæ perire debent, impellentem, ad calamitoſiſſimum finem illum. De quo etiam luculentiùs poſtea dicetur.

*Argumentum ſecundum.*

## VI.

Similiter eò ſpectant, quæ annotata inuenies à theſi 51. uſq; ad 88. ubi aſſerunt homines ſimpliciter in duos contrarios à creatore DEO creatos eſſe fines; Vbi etiam nihil aliud aſſerunt, quàm DEVM auctorem eſſe, tum perditionis tum cauſarum ad perditionem ferentium, in ijs, qui deſtinato illo conſilio D E I & creationis ſuæ fine, perire debent.

*Argumentum tertium.*

## VII.

Quò pertinent omnia ea, quæ enumerata ſunt theſi 139. pleroſq; homines mero D E I beneplacito conditos eſſe ad nullum alium finem, quàm ad reprobationem, ad mortem, ad uſus inhoneſtos & malos, ad dedecus, ad ignominiam, ad iram, ad calamitates & æternam damnationem.

*Argumentum quartum.*

## VIII.

Hæc omnia liquidiùs adhuc aperiuntur, ſi illa, quæ de fine loquuntur, benè penſitentur. Vt cum Beza dicit: *Cùm finis in omnis ſapientis artificis mente precedat, ipſius operis aggreſſionem, certiffimum eſt, D E I de humano genere decretum creationem*

De prede-  
ſtinationis  
doctrina  
& vero uſu  
ſol. 108.



creationem & ipsius creationis fines omnes antecessisse; creationem inquam ut & corruptionem, decretum illud DEI ordine causarum non antecedere, sed duntaxat executioni decreti praesistere.

IX.

Decretum, finem illum habuit, quamobrem homo conditus: propter finem illum, quem artifex creator conceperat, & decreto illo compræhenderat, homines sunt conditi: & perituri, hoc artificio fabrefacti, ut opificis consilium & decretum implerent & perficerent: Post, ad opificis voluntatem, perituri omnes in ipsa creatione adepti sunt illam, ut perire necesse haberent tabem, quam aliàs appellant (ut postea audiemus) *καρτισμὸν*: postea effecta illa, quæ opifex in fine hominis quærebat, subsecuta sunt, peccata nimirum & mors.

Nunc vide,  
quid velit  
homo iste.

X.

Hæc ad amussim ostendunt, quomodo DEVM autorem peccati statuunt; aut si vocabulum autoris tantum reformident: agè satis est, quòd eum opificem & architectum perditionis omniumq; quæ ad perditionem instructa sunt, appellitant.

XI.

Si enim hic finis erat in DEI consilio & immutabili decreto, ut homines eam ob causam crearet, atq; causas ordinaret & compingeret, ut homines peccatorum noxa involuti ad interitum raperentur, merito, ut omninò censemus, autor & mortis & eorum omnium censendus est, quæ ut mors accerli posset, in *προηγμενοις* posita erant.

XII.

Neq; quisquam inficiabitur, finem quatenus ad agendum movet, rationem habere causæ efficientis. Aut si quis dubitat, legat Calvinistarum Kedorloho-



fol. 493.

mor, quem Kimedoncium appellant, in libro de redemptione generis humani, ubi is Calvinistarum (hoc tempore reliquis silentibus) antesignanus hoc ipsum eo modo ponit, & explicat.

### XIII.

Volum. 1.  
fol. 339.

Sicut etiam hoc ad rei evidentiam pertinet, quod Beza dicit: *Rerum qualitates D E I voluntatem, ordine causarum subsequuntur.*

### XIV.

Hoc enim vult, quales illi sint homines, qui pereunt, qualibuscumque sceleribus sint contaminati, universum hoc ex D E I emanasse voluntate, & digitis potentiae ipsius ita esse fabricatos, qui hoc voluerit, & idcirco causis medijs, ut finem suum adipisceretur, hos homines construxerit ad tale exitium, quale in sese jam experiuntur.

### XV.

e. Respon.  
ad Colloq.  
Mumpel.  
fol. 161.

Atque ut, quid sine illo velint, quem causam efficientem statuunt miseriarum humanarum, adhuc magis perspicuum sit, notanda sunt verba Bezae: *Fallitur* (Doctor Jacobus Andreas) *in eo quod unam & eandem esse vult* (voluntatem) *decreti de damnandis nonnullis, cui subordinantur iustae decreta illius exequendi causae, & ipsius damnationis causae: cum tamen necessario substernenda sit ipsi D E I decreto causa per & propter quam illud suum decretum exequitur.*

### XVI.

Talem nobis inducit opificem, qui statuerit fixe & immote homines habere eosdemque perdere: atque hoc appellat decretum: jam ut finem illum assequeretur, architectatum esse causas medias, in quibus damnationis causas necessitatis vi in homines defixerit, ex quibus non peccata tantum, sed mors etiam ipsa suum acceperint defluxum. Hac de re luculentius audiemus

in



in horologio Bezano: jam satis est ratione finis demon-  
strasse, quod DEVM sive architectum, sive opificem,  
sive fabrum, sive causam efficientem, sive denique auto-  
rem peccati & mortis statuunt. Omnia enim hæc attri-  
buta *συνονύμως* accipi debere, quilibet facile videt.

### Argumentum quintum.

#### XVII.

Atque ut specialius etiam intelligant, quod DEVM  
in causis secundis faciant autorem peccati, ista sunt  
illis obijcienda verba Bezae: Destinavit DEVS exitio, sed  
justo, ideoque quamvis non propter corruptionem & corruptionis  
fructus destinet exitio, sed quia sic illi visum est, cujus voluntas,  
quanquam occulta semper tamen est justa: tamen non nisi propter  
corruptionem & corruptionis fructus damnat, QUONIAM  
HAS CAUSSAS EXECUTIONI AETERNI SVI  
PROPOSITI SVBSTRAVIT.

Volum. 1.  
fol. 416.

*De predestinatione  
in be  
Assimilatum  
damnos 26. Ce*

Mox: Quod subijcis DEVM non tantum ad damnatio-  
nem, sed etiam AD CAUSSAS DAMNATIONIS  
predestinasse quoscunque libuerit, verum esse agnoscimus.

Ibi. fo. 417.

Mox: Ad exitium ferentes causas eodem decreto subor-  
dinavit.

Alibi: Negari non potest predestinationem ET AD  
ULTIMUM ILLVM DVPLICEM FINEM, &  
ad utringue subordinata media pertinere.

De predesti-  
nationis  
doctrina es-  
vero usu.  
fol. 5.

#### XVIII.

Fabrica hic causarum statuitur, in qua DEVS ope-  
ratur & efficit, quod reprobi exequuntur, aut in opus  
producunt, quod DEVS ex suo beneplacito vult, pro-  
pter arcanum decretum, in quo ipsis impositum est, ju-  
xta Bezam, ut hæc omnino facere necesse habeant, quæ  
faciunt, qualia & quantacunque sint scelera illa: quia  
usum



usum alium in sui creatione habere horum doctrinā,  
planè non debuerunt.

XIX.

Est itaq; D E V S ex tali principio omnino autor  
habendus eorum, quæ faciunt mali, cum sic effecti sint  
ab opifice, ut nihil aliud facere debeant.

*Argumentum sextum.*

XX.

Procedamus autem ultrà : & colligantur huc pro-  
nunciata hominum istorum in disputatione mea, de fi-  
ne hominis, à thesi 158. usq; ad thesin 201. ubi non tantum  
causarum originem D E O attribuunt, sed etiam om-  
nem illam in causis vim actuosam & ενεργητικὴν D E O  
asscribunt, veluti his verbis : *Habere D E V M vim actuos-  
sam & effectricem in omnibus rebus : D E V M operari omnia in  
omnibus : velle ergo & facere, ut in suis desiderijs impiè vivant :  
impelli à D E O interna quadam & particulari actione : D E V M  
suo de jure, nisi ei continua asscribatur actio in omnibus que fi-  
ant sine ulla exceptione : malos homines à D E O excitari, impelo-  
li, moveri, & ad eum finem creari : causas ad exitium gradatim  
à D E O ordinari : homines expressè certo & fixo divinitus mo-  
mento ad hoc vel illud agendum agi.*

XXI.

Cum itaq; instrumenta per se & propriè causæ ef-  
ficientes, aut ut ita dicam, rerum autores esse non pos-  
sint, sed propriè hæ causæ sint autores effectorum vel  
eventuum, quæ de fine deliberant, à quibus etiam in-  
strumenta fabricantur & ordinantur, & quæ instru-  
mentis vim actuosam suppeditant, atq; hæc omnia  
D E O asscribantur : sequitur omnino, D E V M ab istis  
hominibus autorem peccati mortisq; verè & propriè  
statui.

Auc



## XXII.

Aut dicant nobis tandem, quid differentiæ sit inter causam efficientem & autorem? nullam nos tenemus, nisi quod posterior appellatio extra terminos *πρῆξις*, ut in scholis vocant, usitator est in latino sermone, prior verò in scholis usurpatur.

## XXIII.

Idemque tenendum est, omne effectum propriè & revera ad causam efficientem, impropriè autem ad causam instrumentalem referri.

## XXIV.

Unde omnino sequitur, quod DEVM propriè autorem peccati constituent.

## XXV.

Et sequitur etiam hoc, quod scelus doctrinæ impudentissima inficiatione propagent, cum Deum peccatorum causam appellant efficientem, & nolint tamen eundem autorem peccatorum nuncupari. Sicut hæc sunt verba Zanchij: *Nec dubitandum est, DEVM quosdam indurare, interna quadam particulari, sed ineffabili ACTIONE, eaq; vel IMMEDIATE PER SE, vel mediatè, per ministerium Satane, eos in cecitatem, obdurationem, & prava desideria IMPELLENDO, sed non cogendo, Neq; tamen DEVM esse vel dici posse peccati autorem VEL CAUSSAM.* In misc. Theol. fol. 146.

## XXVI.

Nos non possumus istæc inter se conciliare, Deum interna & peculiari actione, & per se quoque aliquando immediatè, homines in scelera impellere, & tamen autorem scelerum non esse. Homines sunt Calvinistæ, qui Deo & hominibus illudunt.

*Argumentum septimum.*

## XXVII.

B

Vera



Volum. 1.  
fol. 412.

Vera est efficientis causæ descriptio, cui ἀρχαὶ πρᾶκτικῆς  
ἢ seu principia rerum agendarum attribuuntur: hinc audias  
Bezam Calvinii sui sententiam referentem: *Non enim nuda  
in DEO notitia ponenda est, sed πρᾶκτικῆς. Atq; hoc pattores  
ipsas rationem habere necessitatis.*

XXVIII.

Πρᾶκτικῆς causam DEVM appellat ex ijs, quæ su-  
prà audivimus fundamentis, quia media ad peccandum des-  
tinato consilio & fine fabricat, & omnem sua vi propria in  
eis excitat motum, ut quæ ad nullum peccatum sese movere  
possent, nisi DEI agitentur vi atque potentia, quam idcirco  
appellat necessitatem rerum. Facit itaque Deum autorem  
peccati.

Argumentum octavum.

XXIX.

Huic suffragatur, quod Spindlerus commentatur:  
Quoniam DEVS omnia in omnibus operatur, nullumq; sit  
opus sine eo, sicut antea diximus; tamen si quid iniuste & cum  
peccato sit, non hoc à DEO, sed à corrupta natura hominis oritur,  
quam non vult esse otiosam, SED VULT, VT COOPE-  
RETUR.

XXX.

Quomodo hominem reatu obstringere velit, ad facien-  
dum fucum scelestæ suæ doctrinæ, postea dicitur: Satis au-  
tem hoc loco est, Primò, quod opera omnia DEO vt causæ  
omnium rerum auctori ascribit: Deinde, quod corruptam  
naturam cooperatricem facit DEI, omnia efficientis. Ter-  
tiò, quod expressè innuit naturam etiam corruptam mansue-  
ram otiosam, nihilque mali acturam, nisi omnipotentissima  
DEI vi eò impelleretur.

XXXI.

Vnde sanè sequitur, nec corruptam naturam, nec quod  
vis aliud

Spindler.

Im sehe  
normendi-  
gen Bes  
richt, fol.  
444.



vis aliud instrumentum causam & rationem habere peccati,  
sed DEVM ipsum, qui solus, quod otiosum maneret, exci-  
tat & vi sua efficax reddit, ut ad peccata & mortem sese pro-  
ferat, & sese ea ratione Deo, qui peccata operari vult, *σώρι-  
σιν* exhibeat.

### *Argumentum nonum.*

#### XXXII.

Ex hoc fundamento oritur, quod ipsimet asserunt  
causam mortis non in homine moriente, sed in DEO ho-  
minem ad mortem urgente, investigandam & collocandam  
esse.

#### XXXIII.

Sic enim Beza: *Quid, quod non dicit Apostolus haec vasa  
esse compacta eis ἀμαρτίας, sed eis ὄργην & ἀπόλειαν coagmen-  
tata, id est, creata & condita: quae certè est non media ulla  
caussa per quam auctor est sui exitij, ipse homo: sed ultimus ille  
finis DEO propositus.*

Resp. 2. ad  
collo. Mum.  
fol. 164.

#### XXXIII.

Ubi primò ipsam ἀπόλειαν describit, illum statum, quo  
miseri homines tabe miseriarum infecti sunt, & ad perpetuum  
interitum jamjam in visceribus suis ardent.

#### XXXV.

Deinde DEO attribuit, quod sic sint, homines scilicet  
illi, sicut instrumenta (& ut alibi dicit) per *σώρισιν* coagmen-  
tata & creata. Quae ratio hominem ab omni reatu penitus  
absolvit, eumque uniuersum in solidum rejicit in coagmen-  
tatore, effiactorem, opificem & creatorem illum, quem  
DEVM nuncupare audent.

#### XXXVI.

Tertiò, foedè abutitur ad incrustandam blasphemiam  
suam loco Paulino, cum ibi nihil de creatione, sed de rei crea-  
tae corruptione, quam DEVS fert vt Paulus inquit,

B 2 cum



cum *καυποφρεια* ( ubi sanè finis creationis interuenire non potest ) agatur.

XXXVII.

Quartò, expressis verbis negat ullam reperiri mediam causam, per quam homo autor sit sui exitij: **PER QVAM** inquam, **HOMO AVTOR SIT SVI EXITII**. Quod omnium atrocissimum apparet esse in Deum vivum, ut etiam peccata causam mediam exitij esse nolit, ne Deus, in quem omnem reatus culpam rejicere vult, spoliatur illo honore & dignitate.

XXXVIII.

Quintò, itaque cum hominem à culpa perditionis absolvat, Deo omnem illam expressis etiam verbis transferibit, atque ultimum finem **DEO** propositum causam nuncupat exitij hominis.

XXXIX.

Calvini hoc fuit inventum, ubi is blasphemiarum harum tale initium fecit, cum inquit: *Iam si DEI voluntas (cujus causa extra ipsum neq, apparet, neq, querenda est) alios ab alijs discernit, ut non omnes filij Israel sint veri Israelita,* **FRVSTRA CVIVSQVE CONDITIO IN SE-IPSO INITIVM HABERE FINGITVR.**

*Inst. lib. 3.  
cap. 22. §. 4.*

I. **DEI** voluntatem causam statuit, qua reprobi à non reprobis discernuntur.

XL.

Deinde hujus voluntatis negat causam quærendam esse extra **DEVM**: imo si maximè peccata appareant aliæ causæ in oculos hominum incurrentes, in solo tamen **DEO** unicam mali ejus esse causam, quam voluntatem eius vocat, quæ ipsi in se talis est, quòd homines ejusmodi habere voluerit.

XLI.

Unde sequi dicit initium conditionis ad interitum non in homine statuendum esse, sed in **DEO**, qui, ut Beza dicit, **eiufmodi**



eiusmodi conditionem coagmentavit, fabricavit, atque homini ipso creationis sine implantavit, ut hac in lucem exiret miseriarum occulta coagmentatione.

#### XLII.

Quod si itaque homo quæulari velit de suis peccatis, quasi horum causâ pereat, fictum hoc esse, inquit Calvinus: non enim ibi initium calamitatis hujus quærendû esse vult, & falsos atq; inanes aut præposterâs esse hominû quærimonias propter peccata, cum omnes illæ quærelæ planè ab omni hominis reatu sint abstrahendæ, & ad sublimiorem causam, Dei nimirum voluntatem referendæ & suspendendæ sint.

#### XLIII.

Atque hoc appellat supra omnia peccata omnesque causas medias altiùs ascendere, & non in eo hærerere, quod salutem miseri homines indignè respuant, ut meritò eam ob causam perire possint.

*Cal. in Har-  
mon. Euan-  
gelist. fol.  
245.*

#### XLIIII.

Beza etiam hanc accusationem, qua homo seipsum propter peccata reum agit, atque inde suæ perditionis causam investigare vult, penitus ut improbam & illegitimam rejicit his verbis: *Hac demum observatione D. Andreas probare instituit suum illud FALSISSIMUM ET INEPTISSIMUM COMMENTVM, quòd nemo propter aliam causam, quam propter oblatam Evangelij gratiam contemtam vel incredulitate repudiatam, sit unquam damnatus, VT NON ALIVD QVAM SVAM IPSIVS IMPIETATEM ACCVSARE QVIS QVAM DEBEAT.*

*Resp. ad  
collo. Mun-  
2. fol. 209.*

#### XLV.

Falsissimum itaque commentum nuncupat hominem in sua impietate & causa contenti Evangelij principium perditionis quærere: altiùs enim ascendendum putat, ubi illa fingitur voluntas DEI, in qua homo iste necesse habebat peccare, & peccando interire.

B 3 Idecq;



XLVI.

Ideoque etiam initium accusationis propter calamitatem non ad ipsa peccata aut impietatem transferendum esse vult, sed querelas & accusationes vult in DEVM harum miseriarum autorem stringendas esse: & in summis cruciatibus atq; angoribus animi, adversus Deum, Deum inquam stridendum & fremendum esse.

XLVII.

Quod nihil aliud est, quam accusanda DEI majestate & potentia, qua tantam, opinione illorum, tyrannidem & injustitiam exercet, Deum ipsum perpetuis & infinitis flagellandum esse blasphemijs.

XLVIII.

Unde etiam constat, doctrinam Calvinistarum prædestinariam nihil esse aliud, quam perpetuam accusationem & infectionem horribilem DEI omnipotentis.

XLIX.

Hæc semper recurrere debent, quoties dicunt (ut identidem dicunt) *NON POSSE CAUSSAM PROFERRI IN REPROBIS, VT MANEANT OBNOXII DEO, SED IN DEI VOLUNTATE GRADVM SISTENDVM ESSE,*

Calvin. in  
Malachi.  
fol. 746.

L.

Atq; hic ille gradus est, quò accusatio omnis opinione illorum dirigenda est, ut Grynæus cum sociis suis confiteatur & orth. si- DEVM decreta sua exequi in ipso opere peccandi *PER HOMINES VEL NESCIENTES VEL INVITOS.*

Thef. ver.  
& orth. si-  
dei fol. 64.

LI.

Hoc si verum sit, ut homines vi illa DEI agantur, ut peccent & pereant, sive sciant sive non sciant, sive velint sive nolint, (appellat autem invitos, ut coactionem demonstret) meritò omnis peccatorum & perditionis culpa in Deo quaerenda, ibiq; accusanda est.

LII.

Vt constet homines istos ex professo etiam velle hostes DEI omnipotentis haberi.

Argu-



*Argumentum decimum.*

LIII.

Hinc illud, quod homini omnem adimunt locomotivam: & Diabolicum delirium Calvinus appellat doctrinam, in qua docetur homines seipfos ad peccata aliasve actiones circumagere.

*In Lament.  
Iere. cap. 3.  
v. 38. fol.  
420.*

LIIII.

Si DEVS itaq; vi sua membra agit hominis, omnemq; locomotivam arbitrariam in homine coercet, eamq; vicissim urget, quam in miserum hominem decrevit, merito omnis qui ex motu illo oritur effectus, DEO ascribendus est, & si malus sit DEV S quoque merito, ut ex principijs suis ipsimet astruunt propter effectum illum, qui accusationem meretur, accusandus est.

*Argumentum undecimum.*

LV.

Hinc illud, quod DEO perpetuam agitationem in reprobis ad ruinam & interitum ascribunt: & arcanum motum appellant, cui omnia serviant, quæ DEV S in exequenda voluntate sua decrevit: atque decursum appellant necessarium, in quo per potentiam & efficaciam DEI omnia ad finem suum feruntur.

*Cal. in Gen.  
ca. 41. v. 17.  
fol. 278.  
Beza Vol. 1.  
fo. 697. 695.  
Resp. 2. ad  
coll. Mump.  
fol. 204.*

LVI.

Quærimus itaque an non hic sit modus statuendi DEVM autorem peccati?

*Argumentum duodecimum.*

LVII.

Eò etiam evidentiùs, quod astruunt malos mala agere non posse, si DEV S non esset, qui impelleret, & Deus non esset, qui id efficeret. Sic enim Rennecherus inquit: DEV S ille est cuius virtute & agitatione omnia sunt in omnibus: idq; usq; adeò, ut sine illa DEI virtute & ACTIONE neq; boni bona facere, neq; mali mala admittere queant.

*Aur. sal.  
cat. fol. 41.*

Primò





LVIII.

Primò, Asscribit DEO virtutem & agitationem non minus in malis operibus atque in bonis, ut nebuloni illi DEVS auctor boni & mali expressè videatur esse.

LIX.

Deinde, homines mala agere non posse, inquit, nisi DEVS virtute & agitatione illos impelleret.

LX.

Tertiò, sicut agitationem, ita ACTIONEM mali DEO attribuit: qui nunc consequenter nisi planè stupidissimus, secundum axioma istud Calvinianum auctor peccati appellari potest, nisi malimus appellare (quod idem est) DEVM causam AGENTEM MALA, aut, DEVM causam agentem mali.

LXI.

Beza ad  
colloquium  
Mumpel.  
respon. 2.  
fol. 177.

Atque hoc volunt, ut etiam cum gloria quadam DEO impietas ista asscribatur, sicut verba sonant Bezæ: *Quod si contra statuamus esse in Sathana & sceleratorum potestate quipiam in nos moliri quorum duntaxat malitiam DEVS refrænet, quantum illis potestatis tribueris, tantum DEO ademeris.*

LXII.

Excludit homines & Satanam à potestate peccandi, & DEVM includit, cui attribuit, ut non tantum malitiam refrænet, sed omnem etiam illam potestatem exercent,

LXIII.

Vnde facile apparet facere eos hominem atque Satanam instrumenta merè *παιδματα*, quæ nihil agant ex sese, aut proprio motu, sed quòd à DEI invicta potestate eò impellantur: Qua de re in sequentibus plura.

*Argumentum decimum tertium.*

LXIII.

Hinc illud, quod etiam in specie declarant, ut cum Beza dicit, causas secundas inflecti à Deo, ad destinatos fines, nec ullam



ullam rem vel minimam fieri, quæ non ab illo efficitur:  
tur: atq; huius exemplum dat in latrone, *cujus ( inquit )  
malam voluntatem DEV S excitat ad interficiendum alium, nec Beza Volu-  
co DEV S contentus etiam dirigit eum manum atq; telum, ut is so .401.  
interficiatur.*

L X V.

Exemplum latronis, vice omnium est exemplorum:  
Atq; ibi perspicue tradit, primò excitari tum latronum  
tum omnium sceleratorum hominum voluntatem ad  
scelera, quæ ab his patrantur: Deinde, non esse DE  
VM contentum homines istos excitare duntaxat, sed  
manus quoq; & pedes eorum, tela insuper omniaq; in-  
strumenta, quibus scelera committuntur eò dirigere  
& convertere, ut hoc ipsum quod fit, eo modo fiat.

L X V I.

Si inter homines alius alij tanta ad designandum  
scelus aliquod causa esset, sceleris utiq; autor appella-  
ri ab omnibus posset. Viderint itaq; adversarij, quo-  
modo salvis principijs suis DEV M à peccatorum &  
scelerum non consortio tantum, sed propagatione eti-  
am vindicare queant.

L X V I I.

Quantus itemq; voluntatis & instrumentorum sit  
motus à DE O, sic declarat Calvinus cum alibi dicit,  
*Per interiorum operationem in mentibus hominum auferri labi-  
um à veracibus.*

L X V I I I.

Quod non aliter exponi potest, quam veraces  
mansuros homines, nisi DEV S (qui aliàs etiam, ut tra-  
dunt, ad latrocinandum voluntatem excitat, & non  
contentus hoc, etiam tela ad latrocinia dirigit) hominū  
labium, quod vera loqui volebat, sicut telum convertere-  
ret non externo duntaxat, sed interno quoque motu &  
operatione, ad mendacia.

C

Itaq;



## LXIX.

Itaq; etiam hinc constat, quomodo improbi homines juxta sectæ hujus principia DEVM semper accusare debeant, quod non sinat nec velit eos esse veraces, cum esse vellent, nisi aliorsum nimirum à veritate ad mendacium, cor & labia illorum contorqueret.

*Argumentum decimum quartum.*

## LXX.

Hoc quoq; necesse est intelligere, omnia eos perspicue de tali operatione DEI loqui, & nullam eos admittere excusationem infandæ & atræ opinionis suæ, si quis existimet eos, de permissione aliqua duntaxat loqui. Volunt enim omnino teneri, quòd DEVS activa operatione peragat mala, ne unquam alius haberi possit quàm ipsissimus scelerum auctor.

## LXXI.

*Institu. lib. 1. cap. 16. sectio. 8. ( ut ita loquar ) voluntas intercedit, quæ alioquin non posset esse causa.*

*Non idcirco otiosus est Deus, etiamsi peccata non operetur:*

*satis est, si illa refrenet, &c.*

## LXXII.

Valde hoc perspicuum est, eum tradere DEVM in causa peccatorum nullatenus censerì posse, nisi actuali voluntate illa efficiat, quæ mala sunt.

## LXXIII.

Atq; sic DEVM omni implicat noxa, dum actuali ei attribuit voluntatem, ut illa fiant, quæ verè sunt peccata.

## LXXIII.

*ibi. secti. 9.*

Paulò post inquit: *Indubie sic habendum est. QVAE CVNQUE*



*CVN. QVE cernuntur in mundo CONVERSIONES ex secreta manus DEI agitatione prodire.*

LXXV.

Talis est conversio illa, cum ex labijs veracibus operatione illa secreta DEI, ut & supra dixerat, labia fiunt mendacia.

LXXVI.

Zanchius omnia sectæ suæ instituta in apricum produxit. Atq; sic ausus est fateri: *Dubitandum igitur non est DEVM quosdam, id est reprobos & in primis verbi contemtores excacare, indurare & in desideria cordis & prava flagitia eradere: idq; non tantum permittendo (quæ permissio semper est voluntaria) nec tantum gratiam subtrahendo; nec tantum externa offendicula, in quæ impingant, reprobis obijciendo: sed etiam interna quadam particulari sed ineffabili actione impellendo.*

LXXVII.

Beza hæc quoq; dicit, *Malorum malas voluntates non frenari & regi tantum, sed etiam moveri, & ad ipsum quod ipsi libuit CONANDVM, vel etiam perficiendum inclinari, adeo ut tantum potestatis DEO adimatur, quantum instrumentis tribuitur.*

LXXVIII.

Audimus quid submoveant isti, ne DEVS alius quàm autor propriè appelletur & habeatur omnium peccatorum. Quicquid enim DEO ascribere velint alij, in permissione peccatorum, hoc isti univèrsim abolent & damnant, neq; DEVM alium habere volunt in omnium scelerum perpetracione, quàm causam ejusmodi, qui interna quadam PARTICVLAR I actione impellat.

LXXIX.

Quæcunq; itaq; hîc amoliuntur & segregant, eo fit sine, ut remotis omnibus alijs rationibus DEVS propriè

C 2

In Miscel.  
Theol. fol.  
146.

Nota.

Hæc verba  
omnia re-  
petijt &  
tradidit in  
Ecclesia

Palatina  
Spindlerus

im sebr/

&c. fol.

440. 441.

442.

Ad colloq.

Mum. fol.

176. 177.

182.



prie & verè statuaturs causa actualis peccatorum &  
scelerum.

LXXX.

Quò pertinet etiam, quòd in ista actione non lo-  
quantur de vi illa divina, qua naturæ ordo in rebus  
creatis conservatur, sed actionem esse volunt, qua cer-  
& sic divinitus momento ad hoc vel illud agendum potenti  
& efficaci decreto DEI mali aguntur ad mala. Vide  
verba illorum de fine hominis. Thesi 180.

Bez. P. 6. b.  
2. ad. ob.  
M. mel.  
fol. 179.

*Argumentum decimum quintum.*

LXXXI.

Longè autem hoc evidentius est, quod Zanchius  
ibidem hæc quoque verba dicit, *DEVM impellere in cecita-  
tem, oblationem & prava desideria, interna & particulari a-  
ctione eaq; vel IMMEDIATE PER SE, vel mediatè  
per ministerium Sathanae.*

Miscel.  
Theol. fol.  
140.

LXXXII.

Hoc ideo dicit, vehementer metuens, ne homines  
actionem peccati Diabolo ascribant: Sic enim Diabo-  
lum vindicat, ut DEVM reum agat, ut huic gloriam  
ascribat, qui in actione scelerum, Sathanae voluntate  
pro ministerio utatur, scilicet cui ipse vim suppeditat.  
Deinde, ne Diabolus sibi arroget aliquam in peccatis  
gloriam, periinde DEVS absq; ministerio illius nihil  
mali agere possit, ideo addere voluit actiones malo-  
rum etiam absq; ministerio Sathanae, immediate per se,  
particulari actione DEI fieri.

Im sehr  
notwen.  
d. gen. be-  
richt. fol.  
441.

καὶ βλασφ.

Calvinia-  
num, ut mi-  
sigit ante  
cedens: con-  
vicium in  
DEVM.

LXXXIII.

Verba itidem sunt Spindleri: *Hæc interna operatio  
DEI, per quam corda impiorum indurantur, efficitur vel imme-  
diatè per DEI potentiam & a justum iudicium, unde scriptura  
dicit, DEVM indurasse cor Pharaonis; vel mediatè per Sathanae  
nam.* Quam



## LXXIV.

Quam hic potentiam DEI appellat & arcanam, quæ nullum medium habeat, nisi meram & actuosam vim DEI, qua corda ad scelera trahuntur, hanc causam statuit veram & propriam scelerum, quæ ab impijs patrantur.

## LXXV.

Calvinus DEO extra organa & in organis vim *In Iohann. 12. ver. 40.* causamq; peccandi sic ascribit: *Notandum præterea est, Dominum aliquando PER SE IPSVM excæcare hominum mentes, cum iudicio & sensu eos privat: aliquando per Sathanam & Pseudopphetas, cum eorum fallacijs DEVS dementat: aliquando etiam per suos ministros, cum illis noxia & lethalis est salutis doctrina.*

## LXXVI.

Quod in instrumentis efficaciam DEO attribuat, satis perspicuum est, & ea de re paulò post agemus luculentius: Quod verò extra instrumenta DEVM etiam describit per seipsum quoq; non tantum excæcantes corda, sed etiam privantem iudicio & sensu, omnem ibi in DEVM scelerum omnino coniicit culpam.

## LXXVII.

Atq; rursus apparet, quid sit, & quid DEO assignet, cum supra dixisset DEI operatione & conversione ex veracibus fieri mendaces. Nam iudicia & sensus privari à DEO, expressè tradit, atq; insinuat probos & integros hos manere potuisse, si à DEO non fuissent occulta operatione & odio infestati.

## LXXVIII.

Neq; hoc prætereundum, quòd ministerio attribuat lethalem doctrinam in omnibus illis hominibus, quos particulari & occulta actione vel operatione perdere vult DEVS: ut hinc etiam constet, causam perditionis



efficacissimam, tum in instrumentis tum extra instru-  
menta, horum doctrinam, DEO ascribendam esse.

LXXIX.

*Ant. salu.  
cat. fol. 37.*

Hoc ipsum est, quod Renecherus dicit de reprobatione hominum, quam DEVS perficiat EX SE SE ET PROPTER SE SE. Valde enim submetuunt homines isti, ne hominum voluntati aut organis attribuat peccandi actio, DEO quae auferatur, quod vi propria, & naturae suae proprietate ex sese omnia mala ad exitium hominum operetur.

XC.

*Argumentum decimum sextum.*

Ascendamus autem etiam hoc loco ad illa causarum principia, quae à Calvinistis disertè demonstrantur, ut nullum omnino dubium sit, asseri ab his omnia peccata à solo defluere DEO, tanquam fonte & scaturigine omnium malorum.

XC I.

*Volum. 1.  
fol. 383.*

Sic enim Beza: *Quis tandem ignorat omnipotentiam DEI non in eo duntaxat sitam esse, ut omnia possit quae velit, sed in eo quoque, quod inferiorum omnium causarum vis omnis ac potestas ab eo dependeat?*

Et mox: *Vt ne hiscere quidem possit (Satan) nisi Domino voce sua excitante.*

XC II.

Ecce quam pacata & tranquilla essent omnia, quam impotentem haberemus Sathanam, nisi DEVS omnipotentia, vi ac potestate sua eum contra nos armaret & incitaret,

XC III.

*De natura  
DEI fol.  
690.  
Diaboli  
creatio.*

Sonantius est, quod Zanchius dicit, DEI, *ut Adamus peccaret, consilio, voluntate & ordinatione creatum esse serpentem & Diabolum.*

De



XCIV.

De Daiboli creatione scriptura nihil habet, angelos autem creatos esse & bonos, quorum aliqui propria culpa in diabolicam abierint naturam, hoc quidem in *Ioan. 7.* scriptura reperiri potest: creationem autem Diaboli, Zanchius hoc loco eam ob causam appellat, quia hunc statuunt finem creationis atq; ordinationis in ipsa creatione, ut Angelus bonus fieret diabolus, operatione scilicet DEI, cui, ut jam saepe dictum est, operationi omnia subiiciunt.

XCV.

Sed ne dubium sit, audiamus verba eorum: *Angelorum vero & hominum voluntates sic sunt actionum & motuum suorum cause, ut nihilominus arcano DEI consilio & ubiq; ac semper presenti vi & efficacia ad obsectorum electionem aut re-* *Thesau. ver, & orthod. fid. fol. 81.*  
*pudiationem flectantur, sive IMMEDIATE A DEO, sive per instrumenta & media, aliàs bona, aliàs mala, quibus uti DEO est visum, ac prater aeternum & immutabile DEI consilium, quicquam eas agere sit impossibile.*

XCVI.

Sic itaq; ascenditur in causarum cognitione, primò ad lapsum Adami: Deinde ad Diabolum, qui primum hominem impulit: Tertio supra diabolum collocatur DEVS diabolum creans & immediatè etiam impellens. Sic Calvinianorum itur ad astra.

XCVII.

Quæritur nunc secundum ista principia, quæ vere propria & prima sit causa peccati: ubi sit causa causæ, & inde sequutorum effectuum: Et memento interim, quod supra audivisti, & hîc quoq; repetitur, Angelorum voluntates non nisi flectente DEO moveri aut agere aliquid mali potuisse: & simul quoq; observa quid sit, cum dicit, presenti vi & efficacia DEI, ubiq; ac



ac semper omnia fieri. Observa etiam hoc immutabile  
DEI consilium in omni illa actione intervenisse. Age  
nunc ubi principium & origo peccati?

*Argumentum decimum septimum.*

XCVIII.

Id quod de primo homine dictum est, enucleatius  
adhuc è scriptis illorum exponendum esse videtur.  
Grave & horrendum hoc est, DEVM facere autorem  
omnium calamitatum, & causam primam peccatorum;  
non autem grave nec difficile est, imo nimis facile,  
scelus hoc in doctrina adversariorum demonstrare.

XCIX.

Huc pertinet, quòd ubiq; tradunt Adamum neces-  
sario peccasse; necessario, inquam, quia DEVS abso-  
lutè hoc decreverit, & decreti executione in ipsa origi-  
ne sua implexus fuerit.

<sup>a</sup>  
Volum. 1.  
fol. 352.

<sup>b</sup>

De pr. de.  
doct. fol. 10.

<sup>c</sup>

Volum. 1.  
fol. 178.

<sup>d</sup>

Respon. 2  
ad colloq.

Mump. fol.  
178.

<sup>e</sup>

Volum. 1.  
fol. 361.

De natura  
DEI

fol. 690.

C.

Recensebimus aliqua testimonia ex scriptis illorum.

Beza inquit: <sup>a</sup> Decretum DEI non pendebat à voluntate A-  
dami; sed è contrario, Adami voluntas à DEI decreto. Idem:

<sup>b</sup> Nempe ut mutatio ex bono in malum ad executionem æterni il-  
lius DEI proposita necessaria, non quidem absq; DEI decreto, &c.

<sup>c</sup> Idem: Neq; id verò contigit (ut Adam laberetur) nuda  
& otiosa permissione aliqua, quæ ab ipsius voluntate & decreto se-  
paretur. Cum enim finem ordinarit, necesse quoq; est, ut causas ad  
finem ferentes constituerit.

<sup>d</sup> Idem: Sed alia necessitate dicendus est Adam necessario  
lapsus, nempe quod ad DEI ordinationem attinet.

<sup>e</sup> Idem: At enim dices, Non potuerunt resistere DEI vo-  
luntati (primi scilicet parentes) id est decreto. Fateor. Sed si-  
cut non potuerunt, ita etiam noluerunt. Verum non poterant aliter  
velle. Fateor, Quo ad eventum & ἐπερεια.

Zanchius



Zanchius sic inquit: Deinde fateamur, DE I ordinatione  
Adamum in peccatum fuisse lapsum. Quid enim opus est tergi- De natura  
versationibus? si simpliciter DEVS voluisset illum non peccare, DEI folo  
non peccasset: quasi verò DEO invito aliquid fiat. Occasionem illi 690.  
dedit peccandi, dum legem tulit, quam sciebat ipsum non servatu-  
rum. Creavit serpentem & Diabolum: qui EVAM tentarent: de-  
dit ei uxorem, qua eum alliceret. Deniq; permisit eum suo arbitrio  
malè uti. Quomodo igitur dici potest, Adamum esse lapsum in  
peccatum, citra DE I ordinationem & predestinationem? Fateo-  
mur itaq; factum esse DE I consilio ac voluntate, ut Adamus la-  
psus sit: & ut nos omnes in hanc conditionem & miseriam, qua  
nunc sumus irretiti, decideremus: ac proinde etiam non insicia-  
mur, VOLUNTATEM DEI PRIMAM AC VER-  
RAM causam esse, cur nobis ad eternam vitam electis reli-  
quos oderit, eterneq; morti destinavit, ut in ijs suam ostenderet  
iram atq; potentiam.

### CI.

Hic statuunt voluntatem Adami subjectam absolu-  
to DE I decreto: mutationem ex bono in malum pro-  
pter decretum illud necessarium fuisse ajunt: DE I  
itemq; ordinationem fuisse, ut necessario laberetur:  
non potuisse Adamum resistere: non potuisse aliter  
velle: *ἐνεργεία* DE I impulsum fuisse: occasionem da-  
tam esse à DE O, ut peccaret: peccasse consilio ac volun-  
tate DE I: & hoc consilio, ut omnes nos in hanc decide-  
remus miseriam, in qua nunc irretiti sumus: hujus laz-  
psus omniumq; miseriarum primam ac veram causam  
esse DEVM. Hinc directè & disertè concludimus,  
quòd DEVM causam & originem statuant peccati  
omnisq; illius mali, quod ex peccato ortum est.

### CII.

Rennecherus sic se & socios explicat, cum inquit: *Aur. sal.*  
PRIMVS HOMO SVAM VOLVNTATEM IN *cat. fo' 29.*

D

Malam



MALAM PER SE SINE DEI MOTU INTER  
VENIENTE TRANSMUTARE NON POTUIT.  
CIII.

Intelligimus statui ab illis voluntatem Adami in principio bonam fuisse: malam autem esse factam non alia causa, (atq; hoc est decretum DE I absolutum) nisi quod DE I motus, DE I, inquam, motus, qui ad malum incitavit, sive mediate sive immediate, ut supra audivimus, intervenerit: Qui interventus lamentabilem & exitialem ex bono in malum effecerit transmutationem.

CIV.

Hæc necessitas peccandi & pereundi tanta erat hominum istorum opinione, ut Beza dicat: *Si decretum DE I consideres, id est cur illum (Adamum) condiderit bonum, comperies nec bonum ipsum manere potuisse, &c.*

CV.

Refert itaq; hoc ad ipsum finem, propter quem Adamus conditus est, ut intelligamus opificis consilium & institutam in Adamo fabricam necessario eò pertinuisse, ut ex instituto & instinctu DE I tum laberetur, tum secum in eundem lapsum traheret totum genus humanum.

CVI.

Satis hæc sunt de motu, quem DE O attribuunt, ubi transmutationem ex bono in malum DE O soli ascribunt. Quæritur nunc, num DEVS auctor peccati & causa prima peccati in homine censendus sit: Quæritur inquam. Et opus est ut ipsimet nobis respondeant.

Agè verò, hîc non sunt muti, & respondent nobis ipsimet his verbis: *Quod si rursus hanc mutabilitatem ex bono in malum DEVS effecisset, non minus profecto habendus esset malum auctor, quam si malum ab initio creasset: ac multo etiam magis, si quomodo illum bonum conditum, sese in malum transmutare coegisset.*

CVII.

Quod

Beza de  
predest.  
doct. &  
usu, fol. 9.



Quod DEO mutabilitatis illius originem & causam attribuerint, supra audivimus: quod vero eam ob causam autor mali censendus sit, audimus confessionem Bezae, imò jurantis Bezae, quod aliter esse non possit.

CVIII.

Atq; notandum est, quod DEV M censet appellandum esse autorem peccati, si mutabilitatem duntaxat effecisset: eò vero magis, si voluntatem cõegisset.

CIX.

Nos prius illud pro concessio jam habemus ex verbis illorum: posterius vero adeò evidens esse arbitramur, ut hunc nihil planè intelligere putemus, qui audit omnia fieri absoluto DEI decreto vel necessitate, quæ omnem tollit contingẽtiam, & simul etiam audit quod DEV S voluntatem hominis sic fabricarit, ut non possit reluctari: atq; interim non intelligat, opera, quæ inde proveniunt arcana oriri coactione.

CX.

Quin imò, quid, quid: inquam absoluta reprobatio, ejus gratia hominem reprobandum conditum esse ajunt, aliud vult, sicut etiam natura ad peccadum, quem Adam impactum esse tradunt: Quid, inquam, aliud vult, quam insuperabili potentia DEI exequentis absolutam voluntatem suam, homines ad peccatum & mortem, cogit.

CXI.

Nihil enim habent hi, neque quicquam agunt, nisi quod in executione decreti DEI in eos fixum est. Aliter, coactio quid sit, nemo intelligere potest: Maneat itaq; conclusio illa certa & indubitata, quam ipsimet inferunt: ex his nimirum premissis consequi necessario, quod DEV S autor sit mali: & talis autor, nec aliter, quam si ab initio peccatum & malum omne creasset.

D 2

Argumentum



*Argumentum decimum octavum.*

CXII.

Huc pertinet omnis illa doctrina illorum in superioribus thesibus meis commemorata, de absoluta DEI voluntate, quæ nullam habeat *προκαταρκτικὴν* (ubi fanè inevitabiliter statuunt, DEVM fontem, originem & caussam esse omnium malorum. Vide in thesibus meis de fine hominis, à thesi 109. usq; ad 144.

*Argumentum decimum nonum.*

CXIII.

Huc quoq; pertinent omnia, quæ in iisdem thesibus ex libris eorum descripta sunt, de absoluto odio DEI, quo odisse perhibetur homines, & ad odium destinare: atq; caussas medias, quæ sunt peccata & scelera hominum, ut in ijs odium suum explere queat. Vide in thesibus de fine hominis, à 219. usq; ad 260.

*Argumentum vicesimum.*

CXIII.

Quo similiter pertinet, quod dicunt hominem periturum fuisse, etiamsi Adamus non peccasset. Vide de fine hominis thesin 84.

*Argumentum vicesimum primum.*

CXV.

*In lib. bre-  
vis expo-  
sitione totius  
Christiani-  
sismi.  
Diagram-  
ma Bezae.*

Iam hoc ipsum est, quod Beza *διαγραμμά* scripsit & publicavit, in quo DEVM in absoluto decreto suo statuit, homines condere ad dextram & ad sinistram, ad vitam & ad mortem, atq; utrunq; vi decreti sui omnipotentis compellentem homines hinc in cælum, illic in gehennam.

CXVI.

Vbi





Vbi etiam alibi in sinistro illo, id est perditionis la-  
tere horologium assignat, in quo comparat DEVM *Horologi-*  
*um Beza.*  
*extime rote*, trahenti reliquas per peccata ad exitium. *Volum. 1.*  
Vbi etiam non modò rotarum fabricam DEO afferit *fol. 102.*  
bit, sed etiam motum internum & tractum ei uni attri-  
buit, agenti vel mediatè vel immediatè.

CXVII.

Hanc pereundi in gravescentem in miseris homi- *Volum. 1.*  
nibus de die in diem molem, sic suo horologio accom- *fol. 190.*  
modat Beza, ut dicat alibi, causas *gradatim*, in quibus  
iram & potentiam suam in hominibus illis ostendere  
velit, à DEO ordinatas esse.

CXVIII.

In ista actione & motu à DEO dicit impelli eos, *Col. Mun.*  
*resp. 2. fol.*  
*ut omnia legis præceptis interdicta, agant.* *327.*

CXIX.

Vnde sequitur ex illorum doctrina, vel DEVM  
justitiam in lege non percepisse veram, & idcirco ad  
veram DEI imaginem, quæ ex lege elucere debet, con-  
ditos nos non esse, & idcirco in se nullam habere justis-  
ciam; aut si habet, injustus tamen fit, cum jubet & im-  
pellit, ut contra illam justitiam aliquid agamus, id est,  
ut iniuste agamus.

CXX.

Hac actione DEI impelli homines fatentur, ut *agant* *Volum. 1.*  
*contra DEI voluntatem.* Atq; hic in horologio illo seu ro- *fol. 376.*  
ta Minois, Plutonij DEVM non tantum simpliciter  
autorem peccati, sed sævissimum atque atrocissimum  
opificem facit.

CXXI.

Premuntur quidem aliquoties propter scelestas  
voces has, iudicio DEI, ut videantur illas retractatus  
ri; verum non quid inficientur, in Calvinistis quærens



dem est, sed hæc pronuntiata, quæ attulimus, illis ob-  
fenda sunt, & principia, quorum vi & ordine aliter fie-  
ri non potest, quàm ut D E V M autorem peccati faci-  
ant.

*Argumentum vicesimum secundum.*

CXXII.

Multa hæctenus enumerata sunt argumenta, ex quib-  
us necessario sequitur, quod faciant adversarij D E  
V M autorem peccati: age verò experiamur, an sua eti-  
am propria confessione id ipsum non demonstrari possit.  
Recensebimus itaq; aliqua pronuntiata ex scriptis  
eorum.

CXXIII.

Sic confitentur Calvinistarum primarij coriphæi  
D E V M per instrumenta agere, nec tantum moderari  
eventum, sed etiam excitare, impellere, & quod maxi-  
mum sit omnium, ut creet in hunc usum.

CXXIV.

Hæc confessio sonat, D E V M verè causam esse  
malorum, ut qui in hunc finem homines creet & eo  
modo creatos impellat, excitet & moveat,

CXXV.

Sicut etiam Zanchius dicit, *à DEO creari homines & ?*  
*admittendum peccata & scelera & creare ad usum malos.* Plura  
invenies in thesib, de fine hominis thesi 90. 91. 97. 101. 102.

CXXVI.

Beza D E V M appellat his ipsis verbis voluntatis  
etiam malorum causam motricem: Quamquam verò  
subijciat de motu Entis, nihil tamen est nisi fraudulens  
et tergiversatio, quam in alijs ut supra audivimus ver-  
bis ipsemet discussit, cum negaret hunc motum accipien-  
dum esse secundum conversationem naturæ.

Calvinus

1000

Thes. 20.

ver. 1. or. 1.

ho. 1. fol.

0. 1.

De nat.

DEI, fol.

670.

Resp. 2. ad

scil. Mump.

fol. 178.



CXXVII.

Calvinus dicit, *DEVM* *arcano instinctu sic movere, FORMARE* (quod alibi appellant *καταρτιζειν*) *regere ac trahere corda impiorum, ut exequatur, quicquid in eos statuit.*

Calvin. Harm. lib. Mis. fol. 543.

CXXVIII.

Appellat peccatum arcanum instinctum *DEI*, motum cordis à *DEO*, item antegressam à *DEO* formationē cordis, ut tale fieret, cor, & juxta formam, quam à *DEO* habet, ubi nihil nisi peccare potest: & peccando id agit, quod *DEVS* pro forma ei indidit & insculpsit. Quæ omnia idem sonant, ac si simpliciter faterentur, causam efficientem peccati esse *DEVM*: aut saltem, quod *DEVS* cordi det ipsam ad peccandum, formam.

CXXIX.

Eo accommodant vocabulum apud Paulum *εβραϊστικῶς*, idē magna cum fraude. Nihil enim eius habet Paulus, sed loquitur de actionibus bonis. Ipsi verò dicunt actuosam & effectricem vim *DEI* significare in omnibus, nulla prorsus quantulacunq; omnium quæ sunt exceptione.

Bez. a vol. 1. fol. 327. Thesau. ver. & or. tho. fid. fol. 57.

CXXX.

Zanchius omnia dicit *DEVM* operari in omnibus, velle igitur ac facere, ut homines peccent.

*DEVS* *εβραϊστικῶς* omnia. In Mistel. Theol. fol. 142. De natur. *DEI*. fol. 694.

Idem dicit: Fuit ergo hoc primum, quod de reprobis constituit *DEVS* ab eterno, nempe quorundam hominum ad exitium sempiternum destinatio. Ad hoc autem *ORDINATA* erant ipsorum peccata: & ad peccata desertio, gratiaq; denegatio.

Idem: cum & in hunc finem eos prudens ac volens induret, ut peccent gravius & rebelent: & ipsi propter indurationem non possunt non gravius peccare & rebellare.

ibid. 690.

Mox. Damus reprobos necessitate peccandi eaq; perennis



di ex hac DEI ordinatione constringi: atq; ita constringi, ut ne-  
queant non peccare.

CXXXI.

Hic non tantum excitatio ad peccatum declaratur,  
sed illa etiam ipsa constrictio ex divina ordinatione,  
nihil aliud, quam coactio illa est, quam verbis aliquan-  
do à se amoliri conantur.

CXXXII.

Volum. 1.  
fol. 409.

Quæ causa est, ut Beza dicat, *homines ne digitum quis-  
dem movere posse, nisi ad exequendum DEI MAGIS quam  
suum opus.*

CXXXIII.

Vbi perspicuum est, quod opus hominis mali,  
DEI magis opus quam hominis censendum esse pu-  
rent. Sicut etiam revera effectus à causa efficiente  
non ab instrumentali propriè denominari solet.

CXXXIV.

Peccatum itaq; opus esse DEI, his verbis perspicuè  
asserunt.

CXXXV.

Instit. lib.  
3. cap. 23.  
§ 1.

Audiamus Calvinum quoq;. *Minimè tamen (inquit)  
consentaneum est preparationem ad interitum alio transferri,  
quam ad arcanum consilium DEI: quod etiam paulò ante in  
contextu asseritur, quod DEVS excitaverit Pharaonem, deinde  
quos vult induret. Unde sequitur absconditum DEI consilium  
obdurationis esse causam.*

CXXXVI.

Primo arcanum DEI consilium obdurationis cæ-  
terorumq; peccatorum, quæ inde ebulliunt, causam  
statuit: Deinde preparationem ad interitum, quæ con-  
sistit in peccatorum connexionem & illuvie, non vult  
alio referri, quam ad istud consilium.

Vnde



CXXXVII.

Unde etiam de origine & autore peccati nihil manifestius à quoquam dici poterat : atque semper apparet qua fraude agant cum vereantur in conspectu populi Christiani DEVM autorem peccati appellare : interea verò omnia illa DEO attribuant, quæ tanto eum reatu obstringant.

CXXXVIII.

Poteram aliqua etiam illius Kedorlohonor Heidelber- *Kedorloho-*  
gensis, quem Kimedontium vocant, allegare, sed nupera est *mor Hei-*  
adhuc vir ille, Zanchii foetura, & expecto quid libro meo, *delbergens*  
quem furoribus ipsius opposui, sit responsurus, ut sua habeat, *sis.*  
cum opus erit, peculiari scripto consignata, axiomata Calui-  
niana.

CXXXIX.

Unum verò saltem hoc loco commemorabo, ubi in-  
quit: *Interitus ergo pereuntium opus est DEI reprobantis, ac*  
*reprobationis proinde effectus.*

*De redem.  
gen. hum.  
fol. 612.*

CXL.

Omnia hic uno verbo exprimit, quæ cæteri latius aliis  
in scriptis diffuderunt. Hoc autem vult. Primò reprobatio-  
nem (sicut eodem libello definit, & Zanchium suum profite-  
tur præceptorem) in absoluto DEI constituit beneplacito:  
Deinde tradit eo, quod DEVS habere voluerit homines  
reprobandos, Ideò etiam tum creationem tum corruptionem  
instituisse, movisse & interna actione in effectum produxisse:  
unde jam omnem hominis interitum qui peccatis & morte  
perficitur, DEI appellat opus, & effectum illum, quem De-  
us sibi præfixerit, priusquam hominem conderet.

CXLI.

Beza ex corruptione, quam absolutæ DEI voluntati  
subjicit, (sicut etiam Zanchius hanc corruptionem ordinatio- *Volum. 1.*  
ni divinæ subjicit, ut suo loco dictum est) manare dicit tan- *fol. 193.*  
quam *ex fonte quodam perpetuum infidelitatis, ignorantia &*  
*iniquitatis rivum.* Hic flammaram torrens, exoriens secun-

E dum





dum illum Kedorlohomor ex mera voluntate DEI, opus  
est & effectus reprobationis, quo autore nimirum DEO  
nulla nisi voluntatis suæ absoluta causa reprobante, homines  
accendantur peccatis, ut in illis pereant.

### CXLII.

Quapropter & Calvinus hæresis istius inventor non  
*Inst. lib. 3. ca. 23. §. 6.* veretur hoc opus in Deo ipso ita celebrare, ut dicat, *MOR-*  
*TEM divina magis voluntatis quam præscientiæ esse actionem.*  
Nolumus plura allegare, donec provocati ad pugnam, reli-  
qua quoque in aciem producamus.

### CXLIII.

Concludimus itaque ex his omnibus : cum statuunt  
à DEO reprobari & perdi homines mera & absoluta vol-  
untate : cum statuunt fato occultæ potentæ eò rapi :  
cum DEVM faciant per se auctorem duplicis & contra-  
rij in hominibus finis : cum statuunt decretum perdendi  
præcessisse omnem causam & reatum in homine : cum  
causas damnationis substituant executioni decreti : cum sta-  
tuant DEVM causam esse efficientem peccati : cum causam  
per se ad peccandum DEO ascribant : cum naturam  
corruptam otiosam inanis putent, nisi à DEO im-  
pellatur : cum hominem à culpa exitij sui exhibant, eamque  
in DEVM conjiciant : cum locomotivam omnem homini  
adimant : cum agitationem ad peccandum DEO ascribant :  
cum negent hominem, nisi adsit actio DEI, posse mala age-  
re : cum nolint in opere peccati quicquam aliud quam particu-  
larem DEI actionem admittere : cum dicant DEVM  
immediatè & per se atque propter se peccata in homine ope-  
rari : cum dicant Diabolum ipsum etiam à DEO creatum  
& impulsam esse ad peccata : cum primum hominem asserant  
necessariò & ex DEI κατὰ φύσιν peccasse, atque ex bono  
in malum statum vi DEI compulsam & transmutatum esse :  
cum perditionis humanæ omnem causam in DEI constituant



ceuant voluntate : cum **DEVM** describant odio nativo ho-  
 mines insectantem : cum profiteantur homines perituros  
 fuisse, etiamsi Adam non peccasset : cum statuunt homines à  
**DEO** ceu rotis horologij in peccata & mortem trahi : cum  
 ipsimet fateantur creari homines in usum peccandi, & **DE-**  
**VM** appellent causam motricem malorum, cujus arcano  
 instinctu moveantur, formentur & trahantur corda impio-  
 rum, **DEVM** velle & facere, imo operari ut homines pec-  
 cent, ordinata & destinata esse peccata, ut in ijs necesse habe-  
 ant perire : cum omne interitum opus Deo insolidum asseri-  
 bant, eundemq; peccatorum & interitus causam appellent  
 effectricem. Cum itaque, inquam, hæc omnia eo modo di-  
 cant, tradant, scribant, omnesq; uno ore omnibus in scriptis,  
 in quibus quæstionem hanc tractant, eadem confiteantur &  
 disseminent ; concludimus, **QVOD DEVM** faciant  
**AVTOREM PECCATI.**

**CXLIV.**

Improbitalis itaq; convicti sunt, verba adsunt, quidquid  
 confessi sunt : doctrinæ ipsorum principia adsunt : Omnis il-  
 lorū religio cultus est Dei illius, quem statuunt autorem uni-  
 versi mali, Nullus porrò tergiversandi locus.

**CXLV.**

Nos omnia quæ fuscè illi dicunt, ut ex allegatis intellexi-  
 mus, uno & generali complectimur titulo, Quod Deū faciant  
 autorem peccati.

**CXLVI.**

Illi ubi cauius, id est, fraudulentius agere volunt, verba  
 duntaxat isthæc reformidant, quia compendiosissimè omnem  
 illorum comprehendunt doctrinam de Prædestinatione, &  
 simul aperunt, quod in mysterijs doctrinæ suæ furiosè calcie-  
 trent adversus **DEVM** : Sic enim Calvinus verba legere  
 potes, ubi inquit citante Beza : *Quomodo autem DEI*

*præscientia & decretū statutum fuerit, quod de homine futurum*

*erat, neq; tamen in culpa societatem trahendus sit DEVS,*

**E**

**2**

quasi

*Volum. 1.  
fol. 359.*



quasi transgressionis *VEL AVTOR SIT VEL AP-  
PROBATOR*, cum longè altius humanæ mentis peripiciã  
esse arcanum palàm sit, ne ignorantiam nostram fateri pu-  
deat.

CXLVII.

Versutus iste Calvus & callidus homo relicturus vo-  
mitum suæ hæresis, discipulis, quos sequuturos sciebat, non  
modo intelligit è doctrina sua necessariò sequi, *DEVM* esse  
autorem peccati, sed etiam ita proponit, ut prætenfa igno-  
rantia quam fateri juber, demonstret *DEVM* pro auctore  
peccati & approbatore habendum esse.

CXLVIII.

Aut si hæc ipsius sententia non sit, saltem hæc est, igno-  
rare se, quomodo *DEVS* à societate culpæ excusari possit,  
juxta principia doctrinæ suæ de decreto *DEI* in cujusvis ho-  
minis perituri perniciem absolutè determinato.

CXLIX.

Videmus itaque quòd non modo tradant, sed etiam  
quanta malitia Ecclesiæ illudant.

CL.

Memoratu autem semper dignum est, cujusmodi prin-  
cipia habeant, ex quibus *DEVM* autorem peccati faci-  
unt: causam enim peccati & mortis ipsimet suis principiis  
difertè auferunt ab homine, auferunt etiam à Diabolo, sicut  
hactenus demonstratum, & *DEO* omnis transcribitur, ergo  
*DEVM* necessariò autorem peccati faciunt.

CLI.

Ubi istæc principia tradunt, & tamen consequentiam  
negant, sciendum est, quod hæc illorum sit sobrietas quam  
aliquoties de se jactare solent, scilicet antecedentibus seu prin-  
cipiis aliquibus, ex quibus necessariò impia consequutio oris-  
tur confodere simplicium Christianorum corda, & conse-  
quens, quando lubet omittere, aut etiam vbi periculum vie-  
deat,



deat, sine fronte negare, ut semper habeant suum afferendo  
negandoque gradum reciprocum.

CLII.

Nos verò antecedens in scriptis illorum perspicuè de-  
monstramus, & neminem adeo stupidum esse arbitramur,  
qui ipsemet quoque consequens, ut & nos fecimus, elicere  
non possit.

CLIII.

Prodite autem vos Calvinistæ & lucem aspici-  
te, si hæc vobis satis non sunt, (puto autem universo Christiano orbi  
satisfactum esse) vestra alijs ex libris, alijsque ex locis, profes-  
remus verba.

CLIII.

Attendite, ne dicatis post, consequentias nos vestras *Calvinus*  
tantum sectari: verba .n. proferemus duorum præcipuorum *& Zuinglij*  
Sectæ vestræ ducum, Calvinii & Zuinglij, ex quorum vos, *us Deum*  
Calvinismum educiis & propagatis vilceribus, *peccati au-*  
*torem pro-*

CLV.

Verba audietis, quæ sonant, quæ dicunt, vestram do-  
ctrinam esse: **DEVM** esse autorem peccati. Infra verò  
audietis ex iisdem vestris autoribus, vestrisque asse-  
clis, hunc **DEVM**, quem autorem peccati nuncupatis,  
vobis esse, & à vobis ipsis dici Diabolum. Videtis tandem,  
quid hoc sit, quamobrem dimicamus.

CLVI.

Ecce Calvinii verba, ubi causam explicat mortis, atque  
corruptionis in natura, scilicet ista enim dicit: *Atque ut centies Inst. lib. 3.*  
**DEVM ESSE AVTOREM CONFITEAR**, quod *cap. 13. §. 3.*  
*verissimum est, &c.*

CLVII.

Et ne quis in sequentibus fallacissimi istius hominis *Inst. lib. 3.*  
verbis urbetur, cum jubet, in corruptione quærere & accu- *ca. 22. §. 4.*  
sare causam mali, sese explicat alibi, cum dicit: *Iam si DEI VU-*

E 3 luntas



tantas, (cujus causa extra ipsum neq; apparet, neq; querenda est) alios ab alijs discernit, ut non omnes filij Israel sint veri Israelite frustra cuiusq; conditio in seipso initium habere fingitur.

CLVIII.

*Inst. lib. 2. cap. 4. §. 4.* Item: Adhac quoties in populi transgressiones vindicare illi placuit: quomodo opus suum, in reprobis adimplevit? ut videas EFFICACIAM AGENDI PENES IPSVM FVISSE, ILLOS MINISTERIVM TANTVM prebuisse.

CLIX.

*Ibid. §. 5.* Paulo post: Spiritus ergo, impurus Dei Spiritus vocatur, quia ad ejus nutum potentiamq; respondet, INSTRUMENTVM MAGIS IPSIVS IN AGENDO, QVAM A SE IPSO AVTOR.

CLX.

Quomodo Diabolum, hominesque segreget à causa peccati, & pro instrumentis hos habeat, quibus etiam nomen concedere non vult, quod à seipsis efficaciam habeant peccandi, aut ut sibi initium mali imputent, aut ut sibi alijsq; autores sint peccati & mortis: quomodo itemq; ex aduerto solū Deum autorem faciat, cui soli hanc efficaciam & agendi facultatem concedit, quem etiam verissimè autorem appellandum esse censet, satis est perspicuum.

CLXI.

*Zwinglius parte 1. Operum suorum lib. de provident. Dei. cap. 5. fol. 364. a.* Aut sic ubi adhuc tenebricosum esse videtur audiamus Zvinglium, cujus verba iste aliquantulum mitigare voluit, ut solitus erat in omnib. Ecclesiæ, quæ cum Zvinglio intercessit controversiis. Sic aut Zvinglius: Non est igitur peccatum quod DEVS facit, sed homini atq; angelo est, illos enim lex premit & accusat, DEO cum creaturis suis liberè licet agere, non minus, quàm Patrifamilias cum rebus suis, quàm figulo cum luto. Vt cumq; igitur creaturam huc impellat, aut illuc agat, tam abest ut peccet, ut hac citra insigne aliquod bonum non faciat. Cum interim



interim homo cui lex est praefixa, etiam cum impellitur peccet  
adversus enim legem operatur. Duobus hoc exemplis fiet lucu-  
lentius: Habet Paterfamilias leges quasdam domesticas, quibus  
liberos a delitiis ac desidia avocet. Lechytum mellis qui tetigerit  
vapulato. Calceum qui non recte induxerit aut inductum passim  
exuerit, ac dimiserit, discalceatus incedito, & similes. Iam si  
materfamilias aut adulti liberi mel non tantum attrectaverint,  
sed etiam insumpserint, non continuo vapulant, non enim tenen-  
tur lege. Sed pueri vapulant si tetigerint, illis enim data est lex.

TAVRVS SI TOTVM ARMENTVM IAM TAVRVS.  
PLEAT, LAUDI EST. Herus tauri si unam modo praes-  
ter uxorem agnoscat reus sit adulterij. Causa est, quia huic lex  
est posita, ne adulterium admittat: illum (TAVRVM) nulla  
lex coercet.

### CLXII.

Mox: Hic enim sub lege est, ille liber legis Spiritus & Ibid. cap. 6.  
mens. Cumq; divinam providentiam dicimus, hoc aut istud sol. 365. b.  
CRIMEN FECISSE, quod hic aut alius patravit, jam  
improprie loquimur: quantum enim Deus facit, non est peccas-  
tum, quia non est contra legem: illi enim non est lex posita, ut poe-  
te justo: nam justo non ponitur lex juxta Pauli sententiam,  
VNVM IGITVR ATQVE IDEM FACINVS,  
PVTA ADVLTERIVM, AVT HOMICIDIVM,  
QVANTVM DEI EST AVTORIS, MOTO-  
RIS ET IMPVLSORIS OPVS EST: CRIMEN  
NON EST: Quantum autem hominis est, Crimen ac  
scelus est. Ille enim lege non tenetur, hic autem lege etiam da-  
mnatur. Quod enim DEVS facit liberè facit, alienus ab  
omni affectu noxio: Igitur & absq; peccato. VT ADVL-  
TERIVM DAVID, QVOD AD AVTOREM  
DEVM PERTINET. Non magis de DEO sit pec-  
catum, quam cum TAVRVS totum armentum inscendit &  
implet.

Zyvinz



CLXIII.

Zvvinglium audimus DE O attribuentem illam univ<sup>er</sup>ſam peccandi vim actionemque: & DEVM appellan<sup>te</sup> rem autorem adulteriorum, homicidiorum: atque ita perſpicue, ut ſi opus ipſum, quando homicidium & adulterium committitur, in ſe conſideretur, nullius, quam ſolius DEI opus eſſe cenſeatur.

CLXIII.

Et ſic quidem, ut ſi adulterium vel homicidium commiſſum ſit, quærat<sup>ur</sup>que quis commiſerit, aut quis opus illud patrarit, reſpondendum ſit juxta Zvvinglianum, DEVM commiſiſſe, DEVM feciſſe, DEVM patrariſſe: DEVM eſſe autorem, efficaciam & actionem DEI eſſe factum: Et ut Calvinus dicit, hominem non eſſe autorem, initium non eſſe ex homine, hominem instrumentum tantum eſſe: DEVM operatum eſſe in homine, & ex homine adulterium & homicidium & cætera ſcelera.

CLXV.

Horrendum hoc: & quid horribilius unquam dici poterat?

CLXVI.

Cur enim ſi ita res ſe habet, plectimus latrones & adulteros, qui nequaquam rei, propter opus patratum habendi erant: ſed reus eſtis, cujus proprie eſt opus & actio illa, & qui autor operis appellatur.

CLXVII.

Quod verò in tanta majestatis divinæ criminatione & profanatione nomen & appellationem tantum peccati Deo Zvvinglius non vult imponere, cum homini autem imponat, Irivolæ & ſimul impiæ ſint rugæ inventæ ad ſummum Eccleſiæ opprobrium & ludibrium.

CLXVIII.

Cur enim homini, cui actio operis ad peccandum non competit.



competit, ut iste tradidit, sed DEO competit solum: cur,  
inquam, homini imputaretur operis, sicut est, & sicut  
fit, appellatio, & non potius DEO?

CLXIX.

Quis autem ille exlex? Quis ille exlex Damogor-  
gon, qui facere jubet, & ad faciendum urget atque im-  
pellit, quod postea ipsemet, in eo, qui id facit, punire  
vult?

CLXX.

Quis ille exlex, qui præcipit sancta & iusta, & im-  
pellit homines, ut fiant impia & iniusta?

CLXXI.

Quis ille exlex, qui sibi honorificum & gloriosum  
ducit, quod alijs turpe & ignominiosum est?

CLXXII.

Quis ille exlex, qui turpia & foeda agit & operatur  
in homine, ut ipse semper maneat absque lege, id est,  
absque illa iustitia, quam nobis præcipit?

CLXXIII.

Quis ille exlex, cui pulchrum est, quod in lege ipsius  
foedum est? Cui pulchrum & sanctum est facere id,  
quod perpetua Gehenna est dignum?

LXXIV.

Perpendamus autem similitudinem sumtam à  
TAVRO, quam bis ut mentem eius melius intellige-  
remus, Zwinglius ponere vult,

CLXXV.

Comparatio est talis: homo lege obstringitur, ne  
adulterium, ne incestum, ne occulta libidinis scelera  
committat: Quisquis hic prævaricatur, legem audit,  
quæ ad supplicium hominem rapiat.

CLXXVI.

Vicissim DEVS habetur, à secta huius principe,  
qui eadem nefanda omnia patrare aude, sine omni ma-

F

jestatis



jestatis suæ coelestis contaminatione: Rationem addit,  
quia se D E V S habet sicut T A V R V S, qui totum ar-  
mentum incendit & implet. CLXXVII.

Sicut itaq; T A V R O absq; ulla licet noxa, in armen-  
to agere puo lubitu libidinis: ita etiam D E O esse per-  
missum, inquit, omnia illa patrare in genere humano  
universo, quæ horribili cum impietate scelerumq; im-  
manitate quotidie patrantur, atq; sic patrantur, ut ope-  
ra censenda sint propria TAVRI illius Calviniani exle-  
gis, qui armentum generis humani incendit & implet  
omnibus sceleribus. CLXXVIII.

Eò autem peior est TAVRVS ille Calvinistarum coe-  
lestis, omni alio in universa terra Tauro, quod is in  
adulteria, incoestus, libidines non modò ruit, & impu-  
nè ruit, sed etiam alios impellit, ut ipsi quoq; secum libi-  
dine perciti ruant, & dum ruunt atq; faciunt, quod ipse  
vult, & quò ab ipso aguntur (non facturi, nisi ipso au-  
tore & impulsore) ab eodem tamen puniri debent:  
Primò scilicet, quod faciant, sicut T A V R V S cui ut  
Monarchæ subjecti sunt; Deinde, quod faciunt ea, quæ  
ipse operatur in eis; Tertio, quod ipsius clandestino in-  
stinctu, id faciunt, quod specietenus aut verbotenus fac-  
cere prohibuerat. CLXXIX.

Talis vecordia, talis infania, talis scelestia iniquitas &  
improbilas in nullum alium T A V R V M, quàm in  
solum illum Calvinianum T A V R V M cadere po-  
test. CEXX.

Quapropter etiam non mirum, si taurina ista sobo-  
les effrons, & ad omnia scelera rabida & projecta, etis-  
amnum hodie omnibus calamitatibus vi DEI sui,  
quem colit, mundum incendit & implet.

CLXXXI.

Agè, sufficiat itaq; quòd Zvvinglius doctrinæ suæ  
genere



genere DEVM auctorem peccati & facit & palam  
nuncupat & appellat.

CLXXXII.

Appellat enim DEVM AVTOREM ADVL-  
TERII & HOMICIDI I. Hic habetis vos Calvinis-  
stæ parentem sectæ vestræ, qui in initio certaminum  
dicebat suggesta sibi quædam esse contra D. Lutherum,  
nescire verò an ab atro aut à candido profecta sint spi-  
ritu.

CLXXXIII.

Huic jam vestrum adjungite Calvinum, qui blasphemus  
quidem multa eorum, quæ Zvinglius cornupetens,  
ab initio protulit, fauce malitiosissima enuncjavit: in-  
terim tamen eadem propagavit & disseminavit.

CLXXXIV.

Hæc enim, quæ antea ex eo citavimus, planè idem  
sonant, ubi reproborum opera efficaciam DEI, id est,  
efficienti DEO, quod aliter diceremus, auctori DEO  
adscribit, & misero homini, in quo DEVS scelera, mors-  
tem & infernum operatur, tantum passibile ad peccan-  
dum adscribit ministerium.

CLXXXV.

Atque idcirco hominem autorem malorum suorum  
esse omnino negat, ut perspicue ostendat, soli DEO  
hunc honorem & hanc, ut Zvinglius dicit, ΤΑΥΡΙ-  
ἔξοχην atque gloriam, & super omne armentum sceles-  
rum ἐλογονεῖαν ascribendam esse.

CLXXXVI.

Nolumus prolixius istac ex libris illorum repetes-  
re, quæ jam affatim & luculenter demonstrata sunt.  
Expectabimus autem quid ad hæc dicturi, & num-  
tandem experrecturi sint, ut ad ista respondeant, aut  
lancepturi sint suæ sese pudere infandæ doctrinæ.

F 2

Confuta



CONFUTATIO BLASPHEMI  
HUIUS CALVINISMI.

CLXXXVII.



Quantum ad Calvinistas autores tetrici huius dogmatis, sufficeret una confutatio, quod ejus ipsos pudet atrocissimæ doctrinæ in ipso statu, si liquidè ponatur, licet omnia sua eò dirigat axiomata: atq; inde indicium est, quod in animo suo conscientiaæ torminibus convicti sint, & ea propter nolint palàm haberi, id quod re ipsa sunt.

CLXXXVIII.

Quod verò rem ipsam attinet, facilis est ejus ex ipsis principijs, unde educta est, confutatio.

CLXXXIX.

Est enim omnino mali quod est in homine aliquod principium, quod causam causarum appellamus, statuendum. Hic nullam adversarij causam demonstrare possunt, quam DEVM ipsum fontem per se ceu primum mobile, seu extimam rotam omnium aliarum causarum, ut hæcenus declaratum est.

CXC.

Cum verò in homines jam conantur culpam causamve mali transferre, non modò id cuius rei aguntur, à sese non amoliuntur, sed etiam magis confirmant, & in DEVM sævissima accumulunt convitia.

CXCI.

Audiamus Beza, ubi sic inquit: *Cum enim Dominus meus eis causis adductus, quas ipse solus novit (scilicet in bene placito perdendi) proposuisset eos in hunc finem creare, ut in ipsis iram ac potentiam suam ostenderet, simul eas causas gradatim ordinavit, quibus fieret, ut tota ipsorum exitij culpa in ipsis hereret.*

Hic

*Vol. 1.  
fol. 190.*



CXCII.

Hic non modo à societate mali DEVM non vendicat, sed etiam triplò pejorem homine facit, primò quòd hominem suæ futuræ fortis ignarum, in hunc finem creat: Deinde causas medias, horologicas scilicet, ut suprâ diximus, ordinat, ut homo ad finem illum gradatim feratur: Tertiò, quòd in hominem totam exitij causam devolvere vult, cum tamen ipse hujus calamitatis artifex & opifex seu faber, inventor & autor sit, non autem homo, qui ad opificis sui manum fatalem se merè habet passivè.

CXCIII.

Talis verborum est lusus alibi in summum Ecclesiæ contemptum hujus quoq; Bezae, ubi dicit, *DEVM ab eterno decrevisse, ET QVOS, ET PER QVAS CAUSAS* Resp. 2. ad coll. Mun. fol. 203. *in ipsis perdendis hasuras, suo sit tempore perditurus*, ubi tamen addit justo iudicio & perditionem commeritos perdendos esse.

CXCIV.

Quod sic sonat, DEVM homines jam, id est, hominum maximam partem ad Gehennam creasse, & cupere atq; gestire magno absolutæ suæ voluntatis desiderio illos perdere: ut autem perdere possit, hoc justum iudicium (sic enim appellant) instituisse, ut ex torrente odij & iræ suæ causas in eos derivaret, unde sibi cõdem nationem necessario accersere habeant, atq; sic perire, quia DEVS fecerit, ut non possint non perire.

CXCV.

Interim autem DEVM, qui unus & solus causam hujus mali sustineat, in hominem eam transfundere & reum facere, qui nunquam reus futurus erat, nisi is, qui in culpa & causa hac, secundum Calviniana principia verè reus est, culpam à se in alium transferret. Hac eo modo docent,

F 3

Atq;



## CXCVI.

Atq; dehinc DEVM faciunt flagellantem & ulciscentem mala in homine, quæ eò transtulit, & quæ in illis operatur.

## CXCVII.

Ulciscitur itaq; horum sententiã DEVS in homine, quæ ipsemet in homine efficit & operatur, atq; miser homo pœnas luit factorum & operum DEI.

## CXCVIII.

*Volunt. 1.  
fol. 402.*

Tale est, cum alibi dicit Beza, latronis manum ac telum dirigi à DEO ad latrocinium, voluntatem quoq; hominis ad latrocinandum à DEO excitari, in homine tamen qui ex necessitate facit id, quod DEVS operatur, latrocinium DEO non placere, & idcirco in subiecto, quod absolutæ eius voluntati paret & parere cogitur, illud vindicare & punire.

## CXCIX.

Hæc docent ac tradunt in mysterijs suis: unde satis patet, quanta sit doctrinæ huius atrocitas, talem facere DEVM.

## CC.

*The. ortho.  
& ver. sol.  
68.*

Ejusdem est impietatis, cum dicunt DEVM omnia efficere, ubi effectum hunc ad omnes sine exceptione extendunt eventus, & nihilominus tamen negant DEVM peccata facere, quia peccati nomen (ut inquiunt) non nisi vitiosæ qualitati conveniat.

## CCI.

Pulchra scilicet tergiversatio, cum multò magis nomen peccati efficienti causæ, quàm patienti iustramento conveniat: Deinde, cum instrumenta nullam aliam vitiositatem habeant, quàm eam, quæ ab opifice indita est, & ratione creationis inserta est, de qua supra ex ipsorum allegatis, diximus.

## CCII.

Contumelia itaq; & injuria est maxima homini, secundum



cundum principia ista, peccati nomen imponere, cum  
DEVM eo, quod ad ipsum pertinet, expoliant, ]

CCIII.

Scimus, quid hic de occulta DEI iusticia obijciant  
quæ talis sit, ut DEVS etiam contra præcepta sua jus  
beat & urgeat homines facere, quod ipsi tamen, qui sit  
exlex, vitio esse non possit.

CCIV.

Hoc quidem legimus in scriptis ipsorum, quod  
DEVM à mali commercio excludere velint, hac uni  
ca ratione, quod sit exlex, verum nullam audimus pro  
bationem: nec modo nullam, sed mera audimus in  
DEVME & iustitiam eius tonitrua & fulmina homi  
num.

CCV.

Non enim est DEVS alius, in sua iustitia quam ta  
lis, juxta quam nos condidit, & juxta quam nos vivere  
& ambulare jubet, ut imaginì ipsius simus conformes.

CCVI.

Vbi itaq; adversarij in scelestâ sua doctrina compre  
henli eò transfugiunt, ut jacula sua iterum abstergant,  
jubeantur talem in DEO iustitiæ naturam demon  
strare, quæ patefactæ & nobis præceptæ sit contraria.

CCVII.

Hoc ubi non possunt, non modò blasphemias suas  
non minuerunt, sed etiam indies accumulant.

CCVIII.

Nos vicissim scripturam habemus ubiq; plenis in  
cedentem passibus, quæ docet DEVM non probare  
malum, nec efficere malum, imò prohibere malum &  
punire malum.

CCIX.

Quæ omnia verè fiunt: aut nihil est, quicquid scri  
ptura de DEI iustitia & veritate proponit.

CCX.

Imò



Imò si vera non essent, DEVS seipsum occulta iniu-  
stitia contraria patefactæ oppugnaret.

CC XI.

Et sequeretur hoc quoque: si DEVS peccati sit autor,  
ut iuste in alijs peccatum punire non posset, nisi seip-  
sum quoque puniat. Verum: nimis hæc frendent, & lucu-  
lentius amplificari non possunt.

CC XII.

Non audimus duntaxat nostra hac ætate Manichæ-  
os, sed Calvinistas, omnibus Manichæis longè nocen-  
tiores: Veriti sunt illi uni principio, principium  
quod est boni, attribuere causam mali.

CC XIII.

Hi verò DEVM, quem bonum nuncupant, auto-  
rem appellant omnium scelerum.

CC XIV.

DEVM inquam, Ens indivisibile, fontem ex  
quo non possunt simul emanare bona & mala.

CC XV.

DEVM inquam hunc autorem & scelerum &  
mortis appellant, qui filium dedit redimendo mundo,  
quid horribilius? CC XVI.

DEVM appellant autorem scelerum & cruciatu-  
um æternorum, quem quotidie invocare debemus.

CC XVII.

Quæ fides? quæ religio? quæ pietas manebit, si iste  
invalescat Calvinismus?

CC XVIII.

Brevissima autem hujus funeissimi & luctuosissimi  
dogmatis solutio est, quòd DEVS ad sui similitudinem  
hominem condidit, & verè condidit: quòd vetuit pec-  
catum: quòd peccato irrogavit poenam: quòd ad re-  
missionem peccatorum Filium suum misit.

Quæ



Quæ omnia consistere non possunt, si DEVS peccatum efficit, si beneplaciti ipsius res est peccatum, si peccatorum & poenarum ex peccatis voluptate simpliciter delectatur.

Atque hoc maximum est, quod adversarii nullam scripturam, nullam inquam, scripturam in approbationem impiæ dogmatis sui afferre possunt.

Atque Beza noster rectè alibi dicit, nullum locum disertè demonstrari posse in quo tradatur DEVM decrevisse & voluisse, ut Adam laboretur. Si hic scripturam nullam habent, ubi principium cladis humanæ statuendum erat, nullam procul dubio in universo hoc dogmate suo demonstrare possunt.

Quod alibi dicit à posteriori cognosci posse indicat, quod cæcam & malignam suam sequantur naturam, alienam à verbo: & quod ex posterioribus, id est, ex mera malevolentia in DEVM hanc cudant doctrinam.

Ex Patribus quoque illam non habent, neque uno probabili argumento ex iis hanc evincere possunt.

Unum saltem dictum ex Patribus pro nobis adferemus, ubi Basiliius inquit: Insipiens igitur est, & revera mente & intelligentia caret, qui DEVM esse negat. Consimilis est huic & pari dementatus insipientia, qui dicit DEVM autorem esse malorum. Aequale enim horum peccatum esse existimo, quod uterque bonitatem ex æquo detrahit: ille quidem omnino DEVM non esse pronuncians: hic verò bonum eum esse negans. Etenim si malorum est causa, bonus esse nequit. **ITA VTROQUE MODO DEVS ABNEGATUR.** Hac Basiliius.



## CCXXV.

Illa quoque stragis Adamicæ residua scintillata omnino hominis transfigit conscientiam, ut DEVM autorem peccati appellare non possit.

## CCXXVI.

Vol. 6.

Sic enim Plato inquit. κακῶν δὲ αἴτιον φάναι θεὸν πινὲ γίνεσθαι, ἀγασθὸν οἷα ἀμαχίτην παντὶ τρόπῳ, μήτε τίνα ταῖς τε λέγειν ἐν τῇ αὐτῇ πόλει, εἰ μὲν εὐνομήσοισιν, μήτε τίνα ἀκρίβην, μήτε νεώτερον, μήτε πρεσβύτερον, μήτε ἐν μετρώ, μήτε ἀνδρῶν μισθῶ μισθολογῆνται. ὡς ἔφ' ὅσα ἂν λεγόμεθα, εἰ λέγοιτο, ἐπὶ συμφορᾷ ἡμῖν, ἔπε συμφωνῶν αὐτῶν αὐτοῖς.

## CCXXVII.

Plura hinc recenseri possent annotata ab ijs, qui hac in parte manifestarunt tenorem & residuum illum naturæ humanæ igniculum de DEI iustitia & bonitate: verum satis est.

## CCXXVIII.

Confutationis loco id quoque validissimum est, quod seipfos in doctrina hac non modò oppugnant, sed etiam everunt & damnant.

## CCXXIX.

Volunt. 1.  
fol. 356.

Meliùs enim & fortius eos evertere non possumus, quàm cum Beza impiam appellat blasphemiam DEVM autorem peccati facere.

## CCXXX.

Impia utique est blasphemia: scimus & agnoscimus hoc, eamque ex toto detestamur animo.

## CCXXXI.

Interim impios & bis blasphemos appellamus Calvinistas, qui hanc doctrinam tum asserunt tum in seipsis condemnant: de se enim liquidò patefaciunt, quod sint ἀποκατακριτοὶ & in spiritum sanctum sint scientes atque volentes contumeliosissimi.

## CCXXXII

Idem



Idem dicimus de Kimeroncio, qui blasphemiam appellat, Deo attribuere, quod impellat homines ad delinquendum. Tu revoca istæ, quæ ex libris eorum supra recensuimus, & invenies, quod homo iste trifurcifer & monstruosus inficiando facinus lætæ suæ, duplicis blasphemiam sese astringat.

CCXXXIII

Hanc inficiationem ex Beza suo homine mendacissimo didicit, qui idem alibi pronunciat falsissimum esse quod asserant, DEVM decrevisse ab æterno. & velle ac efficere, ut peccetur necessariò: aut quod statuant voluntate & impulsu DEI scelera committi.

CCXXXIII.

Istæ inficiationes nihil nisi ulcera sunt conscientie: quid enim & quibus verbis, quo sensu & quantis viribus omnes lætæ hujus doctores id ipsum tradant, abundè supra demonstratum est.

CCXXXV.

Confutatur etiam sic horrendum hoc dogma, ex confessione propria, qua patefaciunt, quid de Deo sentiant.

CCXXXVI.

Inquiunt enim, cum Deo nihil magis proprium sit, quàm sua bonitas, ipsum à se abnegari oportere, ET IN DIABOLVM TRANSMUTARI, si malum faciat.

CCXXXVII.

Confitentur itaque hoc ipsorum dogmate, DEVM abnegari, & in DIABOLVM transmutari.

CCXXXVIII.

Hunc autem DEVM quem ipsimet in Diabolum transmutant, abnegato Deo vero Calvinistæ adorant, hunc colunt, & hujus causa tot convitijs incessunt Evangelium Iesu Christi.

CCXXXIX.

Quæro itaque, quem colant DEVM? & quam in mysteriis suis fabricent religionem? Quæro itemque, unde sit illud in meritum Christi internecium & inexhaustum odium?



## CCXL.

*Ibidem.* Idem Beza contra Libertinos palam DEVM autorem peccati nominantes, locum 1. Cor. 12. (DEVS omnia operatur in omnibus) ex Calvino suo sic interpretatur: *At scriptura, inquit Libertini, in uniuersum pronunciat DEVM efficere omnia in omnibus. Respondeo: Ipsos perperam & falso scripturam ad id accommodare. Cum enim hac sententia utitur Paulus, TANTVM loquitur de gratijs Spiritus sancti. Idq; locus ipse satis demonstrat, in quo admonet Corinthios, ut ijs bene utantur, cum sint dona DEI.*

## CCXLI.

Libenter audimus locum illum non de omnibus effectis accipiendum esse, sed duntaxat de gratijs Spiritus sancti: Et libenter audimus falso & perperam scripturam hanc ad uniuersa trahi, quæ in mundo fiunt. Consequenter verò ex ijs, quæ suo loco suprâ citauimus, ubi ista scriptura non aliter, quam Libertini utuntur, inferimus & concludimus, quòd non solùm falso & perperam, id est, DEO in summam contumeliam scriptura utantur, sed etiam, quod in tanto flagitiosissimo flagitio sese strangulent & enecent, ut homines in reprobam dati mentem.

## CCXLII.

*Volunt. 1. fol. 376.* Talem etiam condemnationem in sese provocant, cum Beza dicit: *quod inquit Dauid non DEVS volens iniquitates tuas, perpetuo verum esse confitemur, & eum qui secus sentiat, PRO IMPPIO ET BLASPHEMO HABEBIMUS.*

*Ibid fol. 397* Et mox: *DEVM velle iniustitiam sine blasphemia dici non potest.*

*Thef. ver et orib. fo. 40.* Sic idem cum Grynæo & socijs confiterur: *Dicere, DEVM aut peccare posse, aut esse autorem peccati, summa est in DEVM iustissimum blasphemia.*

Et alibi: *Illud quoq; necessario sequi existimant, ut & omnium*



omnium malorum, que sunt damnationis causa & ipsius tandem  
damnationis culpa in DEVM tanquam causam omnium isto-  
rum effectricem transferatur, quod sine horribili blasphemia  
dici non posse, ultro illis concedimus.

De predest.  
doctrin. &  
vero usu  
fol. 99.

### CCXLIII.

Istas execrationes quibus sese transfigunt & transjici-  
unt, ita considerabis, ut intelligas proprio judicio impios &  
blasphemos esse homines Calvinistas, & summè blasphemos  
in DEVM justissimum, & horribiliter blasphemos, & ne-  
cesse habere, id nobis concedere, quia abundè demonstra-  
tum est, quod causam malorum effectricem soli DEO as-  
scribant, imo verba ipsorum sunt demonstrata, quibus DE-  
VM autorem peccati nominant.

### CCXLIII.

Fodiunt itaque in omni doctrina sua jugulum & fauces  
suas, atque ad diem Iudicij magni sua sibi congerunt fune-  
stissima crimina.

### CCXLV.

Et nos facile superfedere possumus prolixiori dogmatis  
hujus confutatione, cum hæc nobis sufficiat, quam ejusdem  
autores in manus nobis porrigunt; Hac illos adorimus, hæc  
illos premimus, hac illos trahimus, hac illos manifestamus,  
ut toti mundo pateat, quanta rabie, quantoque conscientie  
supore Diabolicam hæc suam propagent religionem.

### CCXLVI.

Addemus unum tantum, quod Beza de sua pronunciat  
doctrina, si DEVM autorem faciant, nullum fore discrimen  
inter DEVM & Diabolum.

Volum. 1.  
fol. 364.

### CCXLVII.

Rectè hoc pronunciat & concedimus esse ἀντισπέσων.  
Convictus ena n est Beza cum omni secta sua, quod idem  
ipsum omnes tradant. Hinc itaq; ritè inferimus, quod cultum  
quoque seu religionem instituant, quæ indifferenter tum ad  
DEVM quem eo modo describunt, tum ad Diabolum re-  
ferri queat.

G 3 Neque



CCXLVIII.

Neque hoc alienum ab omni ipsorum doctrina, cum confiteantur, **DEVM** in ipsa creatione voluisse, omnium hominum esse patrem. Num hoc satis dirum?

CCXLIX.

Si omnium pater esse voluit, præsertim cum istam sententiam sic illustrent, quod multos ad lanienam & cruciatum condiderit, sanè inde efficitur, quod statuunt in ipsa creatione Diabolum ipsum multorum fuisse creatorem.

CCL.

Aut itaq; duo coæterna statuunt principia, aut **DEVM** verum & unum, convertunt in Diabolum.

CCLI.

Prius verbis negant: posterius re ipsa tradunt.

CCLII.

Atque sic tradunt, ut doceant in omni causarum principio fuisse Dei absolutam voluntatem, in qua homines voluerit habere, abominabiles, foedos, impios & cruciatibus displicendos: & postea sequutam esse creationem: in creatione autem homines illos fuisse conditos ad **DEI** imaginem.

CCLIII.

Siue ergo **DEVM** faciant geminum, siue unum **DEVM** in se & bonum & malum, id est, in se **DEVM** simul & Diabolum, utrobique ex ipso loquuntur Diabolo.

CCLIIII.

Hinc illud, quod Deo suo pleni, tanta mentiendo, inficiando, practicando, blasphemando, ejurando Evangelio Iesu Christi, designent flagitia.

CCLV.

Quorum omnium finis est, quem Spindlerus pro se scilicet homine apostata & pro tota secta sua pronunciat, *Diabolicam esse doctrinam, DEVM autorem peccati facere: nullam enim Diabolum expeditiorem viam invenire potuisse hac ipsa, homines precipitandi in gehennam.* Scimus

Im sehr  
notwendig  
gen Be-  
richt/ fol.

157



## CCLVI.

Scimus & agnoscimus per Spindlerum, aliosq; Calvinistas Diabolum viam hanc invenisse, & in Ecclesiam introduxisse: atque hoc ipsum est, quod Ecclesiam adversus viam hanc desperationis & condemnationis, eiusque duces magno excitamus zelo, & periculum hoc ipsum, quod ipsi met reticere vix possunt, universae pandimus Ecclesiae.

## CCLVII.

Monemus autem Ecclesiam universam, ut suos Calvinistas, quos in sinu fovet, rectè tandem aspiciat, & cognoscat vel sic, si haectenus aliter non potuit, qui sint, quem adferant & quem colant DEVM, quibus sese execrationibus obstrinxerint, quibus maledictionibus dirissimis & furijis, & quae sint fauces illae, ex quibus audire vult misera ecclesia toties contra Calvinismum admonita, verbum salutis.

## CCLVIII.

Quid sanè hi traderent aliis in articulis, cum cervicem habeant proprio iudicio depressam & condemnatam?

## CCLIX.

Occurrit hoc loco ejusmodi quoque execratio, qua auctor *Gülden Leiter* sic in pectus sum sociorumque fulminat: *folio 70.*  
*Maledictus (inquit) qui negat Christum serio omnium hominum poenitentiam & conversionem expetere.*

## CCLX.

Nullum fulmen profundius & impetuosius in pectus seclæ hujus stringi poterat, quam quod ipsi met ex ipso tribus nali DEI in sese eliciunt & stringunt.

## CCLXI.

Quis enim jam tandem adeò in Ecclesia peregrinus est, qui ignoret quod tradant Christum non venisse pro salute omnium hominum? Quis etiam ignoret, quod Christo hypocrisin & dolum ascribant erga maximam hominum partem, quibus Evangelium prædicatur?

Aut



Aut si quis ignorat, legat allegata ex libris illorum in  
 disputatione mea prima, de fine hominis, audiemusque  
 DE I gratia adjuvante in disputatione, quae suo loco se-  
 quetur, ubi agendum erit de voluntate DE I occulta & re-  
 velata atque inter se contraria quam homines isti non  
 minori blasphemia Deo attribuunt, quam cum  
 Deum autorem peccati faciunt.

FINIS



ERRATA.

*Prior numerus thesin: posterior litteram de-  
 notat.*

- 36. 4. *μαρτυρία.*
- 120. 3. Minois Platonij. 5. faciunt.
- 126. 6. Conservationem.
- 142. 1. quid.
- 151. 7. videatur.
- 156. 2. sic enim dicit.

Am













ULB Halle

3


001 909 231











*DISPUTATIO*  
Tertia contra Calvinistas.  
**QVOD FACIANT**  
**DEVM AVTOREM**  
**PECCATI.**

*PRAESIDE*

*Reverendo & clarissimo Viro*

**D. SAMVELE HVBERO**  
Helvetio Bernensi, S. S. Theologiae Doctore  
& Professore in Academia VVitebergensi,

*Respondente*

**M. ANDREA SCHAFMANNO**  
TREMONIANO, e Saxonibus  
VVestphalo.

*ANNO 1593. 7. Septemb.*

**VVITEBERGÆ**  
**Typis Zachariae Lehmanni.**  
**ANNO M. D. XCIII.**

